



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Columba Virg. Mart. 31. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

miraculis pluribus decoravit. Nam cruce (familiari jam medicinâ) & strumam à collo nobilissimi adolescentis, & à matronâ sanguinis fluxum pepulit; atque hæc cum grata sapius ad templum inviseret, sinistrâ suspicione ductus maritus, BARBATIANVM in templo stricto ferro aggreditur. Sed manus, pes, lingua hominis tam diu in loco obriguerunt, dum facilis etiam in hostes medicus BARBATIANVS precibus suis emolliit. *Ex Ferrar.*

*Multum meruit de nobis Deus, qui & immeritis seipsum dedit nobis. Quid enim melius seipso dare poterat vel ipse? Ergo si Dei meritum quaritur, illud est præcipuum, quia prior dilexit nos, dignus planè qui redametur, præsertim si advertatur, Quis, Quos, Quantumq; amaverit. S. Bern. de Dil. Deo.*

## S. COLUMBA VIRG. MART.

31. Decembris.

**I**Nnocentis COLUMBÆ sanguinem qui fundere hodie potuit, an non rectè hunc accipitrem dixerò? Fuit hic Aurelianus Imp. qui ubi Senonas (patriam COLUMBÆ) venit, illico in virginem castissimam involavit, prædamque filii amoribus servaturus, precibus, promissis, minis à Christi amplexibus virginē studuit avocare. Sed quæ potuisset avelli, quæ his se tam arctè illigaverat, hederat? Ergo aut sacrificat, ait tyrannus, aut tute igne sacrificabere, nec prius quàm quem maximè amas pudorem Veneri litaveris. Risit ad illa virgo, ad hæc cohorrui. Nec mora, ad lupos abducitur; & ecce, Barucha juvenis princeps audaciæ & impudentiæ irrumpit. Quid faceret inter ungues milvi COLUMBA? Gemit, & gemitus surdis

Dd 6

homi-

hominibus audit in theatro urſa, accurrit afflic-  
tumque humi DEI rivalem tam diu terret, dum  
ille DEO manus, virgo veniam dat. Intercà ædi-  
bus Aurelianus irâ flagrans, ignes ſubjicit. At cæ-  
lum hos imbre, mox gladio cæſa COLVMBA ſan-  
guine extinguit. Ex Ferrario.

*Si diligenter attenderis, ubique laqueos inimici de-  
prehendes voluptatum illecebris tamquam melle cir-  
cumlitos; ut ſi quis voluptatis ſuavitatem guſtare ve-  
lit, laqueo capiatur. Noli mel hoc concupiſcere; dulce-  
dinis enim illius extremum felle replet amatores ſuos.*  
S. Ephrem in recta vitæ ratione.

